

05

A

378





ORATIO
De
BELLIMALIS,

Scripta & recitata

A

GOTTFRIED SCHNEIDERN,

BITTERFELDA SAXONE, IN ILLUSTRIS

Academia Wittebergenfi Dominica tertiâ

Adventus,

ANNO M DC XXXV.

WITTEBERGÆ

Typis AMBROSII ROTHII, Acad. Typogr.



GOTTFRIED SCHNEIDER
Bitterf.
De Bello Christiano
Hanc
Zur
Dominica Patrocinii de Bitterfelden



VIRIS

Admodum Reverendâ Magnificentiâ, Natalium,

Splendore, consiliis, Judicio, usq; rerum,

Nobilissimis, Excellentissimis, Celeberrimis, Electoralis, quod Dresdæ est, Protosynedrii Ecclesiastici Præsidi & Assessoribus Eminentissimis.

Dn. FRIDERICO M E T Z S G H Toparchæ
in Reichenbach & Friesen/ aulae Elect. Dresd.
Consiliario.

Dn. MATTHIÆ HOE ab HOENEGK
in Gönnsdorff / Ober und Nieder- Nachwitz / Hæreditario, S. S.
Th. Doct. & Veræ religionis Propugnatori felicissimo, Sacri Palatij Lat.
Comiti, Sereniss. Elect. Saxon. à Sacris Confessionibus, Consiliis & concionibus primariis.

Dn. ÆGIDIO STRAUCHIO, S. S. Th. D.
Eximio, Ecclesiæ, quæ CHRISTO Dresdæ colligitur, Pastori &
vicinarum Superintendententi vigilantissimo, dignissimo.

Dn. LEONHARTO KÖPPELIO Jcto
magno, Serenissimo Electori Saxonix ab Appellationum consiliis

Dn. FRIDERICO TUNZELIO J. U. Doctori nominatissimo.

Dominis Patronis ac Mecænatibus

Suis Summis

Hanc

De Bello Orationem

Reverentiâ,

Quâ par est, humilimâ
dicat & consecrat

GOTTFRIED SCHNEIDER
Bethef.



05 A 378



RECTOR

ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS

DANIEL SENNERTUS D.

Facult. Medicæ Professor, ac Senior, &
Sereniss. Elect. Sax. Medicus,

CIVIBUS ACADEMICIS. S. D.



*Antò præterit Imperatores
alios Hannibal, quanto Romanus
Populus virtute atque prudentiâ
gentibus cæteris superior fuit. Nam
cùm vastaret Campaniam, cùm Ro-
mæ ipsi, imperij domicilio, immine-
ret, conserta nunquam sunt manus,
quin victor longe superiorq; discederet, & de invictâ Ro-
manorum virtute calliditas Punica triumpharet. Huic
cum animo agitanti bellum, quod inferret Italia, ingens
prodigium per quietem apparuit: cum visus videre à tergo
ferri serpentem immense magnitudinis, qui infinita stra-
ge virgulta arboresq; traheret: post verò insequi nimbos
& grandines & prodigiosorum fulminum terribiles fra-
gores. Scitantem à Genio, qui sese à Jove missum Ducem
ipsi profitebatur, ecquid portenderent, quæ videret, acce-
pisse memorant, denotari calamitates belli, quod mox Ita-
liæ illaturus esset; pergeret igitur quo fata ducerent, nec
sciscitaretur curiosius, quæ caliginosâ nocte premeret Deus.*

A 2

Sit



Sit somnium ac visum nocturnum quod de Hannibale Livius narrat: aut fabula etiam, quas plurimas saepe antiquarum rerum conditores tanquam historias afferunt: tamen profecto ista imagine pulchre certe atque preclare qua universim bellorum ratio, ac ut sic dicam facies, videtur expressum. Nam quidnam aliud esse existimabimus bellum, quam immanem quandam terribissimamque belluam, qua non quidem virgultorum tantum aut arborum exerceat strages, non pecudum ac armentorum greges dejiciat, sed qua integros populos, integra regna, integras terrarum orbis partes, depopuletur, vexet, evertat. Aut quandam diram et plusquam bibernam tempestatem, qua coelum terram misceat, et non tam segetibus aliquot et agris sed prope universo generi humano exitium perniciemque ultimam intentet? Nam qua bellorum negotia alia, quam caedes, raptus, incendia, et quo nequissimum quemque aut furor suus aut mala libido impellere potest? Qua tum pulcherrime geri putantur, cum quam latissime spargunt clades, et solitudinem inferunt populis, et quicquid restat, prosternunt ac ruunt. Quae de causa ut optimi quique ab illis aut abstinent plane, aut non nisi summa necessitate eò se adigi patiuntur, ita pessimi contra ultrò suscipiunt, et quasi invadunt. Nam quo plus viribus et violentia ibi permissum vident, eò minus probitatem et innocentiam posse nequissime presumunt. Mulierem quandam Hesiodus memorat, qua nescio quae cum pyxide in terras dimissa esset à Jove. Ac tum incumbere cepisse mortalibus omnis generis mala, qui ante quidem agissent plane -- ἀπερ τε κακῶν, καὶ ἀπερ χαλεποῖο πόνου νόουσιν ἀεγαλέων, αἰτ' ἀνδρασι γῆρας ἔδωκαν. Profecto putare possit aliquis tum primum cepisse bellum geri, et hoc à Poeta quasi praefiguratum fuisse. Aut toties venire in
terras

terras Pandoram, quoties bellum ingruit: ita nihil calamitatis aut cladis ac infortunij reperiri potest, quod non ingenticopiâ secum trahat. De quo ut cuiusvis dicere in promptu, ita multo tempore opus est, si omnia persequenda ducas. Quid quod inanis videtur verborum labor, ubi res ipsa in oculos cujusque & manus incurrit? Delegit tamen sibi materiam istam potissimum florentissimis adolescens GODOFRIDUS SCHNEIDERUS, Amplissimi Viri MICHAELIS SCHNEIDERI Quasturae Wittebergensis Praefecti, filius, in qua ingenij vires & prima dicendi pericula experiretur. Nam qua felicitate indolis est, & vivacitate animi, minimè sibi relinquendam statuit hanc studiorum partem. Cum videatur sibi non planè immeritò persuasisse, exactam & uberiolem paullo, atque quam vulgus miratur, eruditionem vix in quemquam cadere, qui non & literis imbuerit animum. Nec tam eximiam atque praclaram operam conferre posse in publicam rem, qui quidem praclaris doctrinis instruxisset pectus, sed destitutus dicendi artibus, dignis ac efficacibus verbis cogitationes suas explicare non posset. Qua ejus ratio ut nemini non qui paullo prudentior est probabitur facile, ita aequum cum primis ac par est, dicturo postea de belli malis omne favoris & benevolentiae genus auscultando prestare. Et est tam eleganter, tam floride scripta ejus oratio, ut quem non temere poenitere possit temporis, quod huic acroasi impendat. Quapropter ad illum actum ut postea frequentes convenire velitis in Acroaterio majoris finitis sacris pomeridianis, maximopere censemus.

P. P. DOMINICA IIIâ. Adventus anno recuperatae gratiae cl. Ic. CXXXV.

A 3

ORA-



ORATIO
De
BELLI MALIS.

Absit omen, Magnifice Dn. Rector, Illustres ac Generosi Barones, Viri admodum Reverendi, Amplissimi, Excellentissimi, Consultissimi, Clarissimi, Spectatissimi, Prudentissimi; Tuq̄, Studiosorum corona Nobilissima, Florentissima. Absit omnen, inquam, quod, dum primum in amplissimum hunc confessum vestrum prode, de re abominanda maximeq; omniū detestabili verba mihi facienda sumpsi. Rectius fortasse facturus eram, si vel tacuissem omnino, vel materia aliqua jucundiore aditum mihi ad favorem & benevolentiam vestram aperuissem. Sed postquam inevitabilis fatorum necessitas hanc nobis legem imposuit, ut in vita hominum semper læta & tristia perpetua quadam vicissitudine invicem succedant, non videntur culpandi, qui de publicis Regionum calamitatibus publicè loquuntur. Anni complures abierunt, postquam intestinum hoc & plus quam civile bellum in Germaniâ exarsit, ex illo res patriæ nostræ in pejus ruere & retrò sublapsæ referri ceperunt, tot florentissima oppida incensa & everfa, tot populosissimis regionibus vastitas & solitudo continuis cædibus

dibus inducta est, non sine insigni bonorum omnium dolore. In cuius partem cum me quoque naturalis erga patriam affectus vocaret, constitui, quando quidem aliter non licet, saltem iustissima indignatione & innocentibus convitiis dulcissimam patriam ulcisci. Sint alii Nestores & maturis consiliis salutis publicæ subveniant: sint alii Hectores, seque pro Repub. & communi libertate certissimæ morti devoveant; Ego utrisque laudem suam illibatam relinquo; Mihi sufficiat, querela hac publica non expertem communis luctus hunc animum declarasse. Quod si Diogeni nominatissimo Philosopho, vitio datum non est, quod in obsidione patriæ, cum alii hostem aggredierentur, alii muros reficerent, lapides alii aggererent, & pro se quisq; laboranti patriæ succurrerent, ipse, ne in tanto omnium civium studio solus quiescere videretur, vas suum sursum deorsum circumvolvit. Quis mihi succenseat, si dum bellum omnes detestantur, ego quoque communem hanc patriæ perniciem publicè execrari aggredior. Quis enim est tam ab omni humanitate aversus, quem non moveat miserrimum & atrocissimum fatum ejus regionis, cujus solum primùm institit, cujus aërem primùm hausit, in qua pueritia ejus lusit, in qua ejus ad vitam rectè instituendam informata est adolescentia? Præsertim, si naufragium illud non à terra spectet (quod ipsum in animo patriæ amanti ad moerorem sufficit) sed iisdem fluminibus se ipsum, amicosque, & necessarios jactari experiatur. Inhumana & non pro cætera Socratis sapientia est illa vox, qua cum interrogaretur, cujas effect,

ming

esset, respondit, se civem mundi esse, quod item de Diogene refert Laërtius, Hæ inquam & similes voces plus Stoicæ severitatis habent, quã humani affectus, cum à natura ipsa major homini in patriam amor, quam in alias quascunque regiones inditus sit. Rectius omninò illud sapientiæ & facundiæ miraculum Cicero: nihil homini charius esse oportere, dixit, quam patriam: chari, inquit, liberi, amici, cognati, sed omnes has charitates una patria complectitur. Et sapienter omninò Valerius censuit, etiam illam, quæ DEORUM numinibus æquatur, parentum autoritatem amori patriæ vires suas subjicere, eidemque fraternam charitatem æquo animo ac libenter cedere. Videmus etiam immanissimas bestias, quanquam diligenter eas cures, victumque largiter subministres, sylvas tamen suas & asvetos saltus semper appetere:

*Cum benè sint clausæ caveâ Pandione natæ
Nititur in sylvas quæq; redire suas.*

Inquit Naso: Quantò magis homo, illud ratione pollens animal patriam suam præ cæteris terris unicè amare, ejusque adversos casus sincerè dolere debet? Cum igitur hoc quicquid est sermonis, que me ad vos habere nunc institui, ab illo in patriam affectu unicè proficiscatur, spe bona ducor, vos huic instituto meo tantò promptius veniam duros esse. Equidem cum me & ingenium meum justo pede ac modulo metior, audax mihi ipsi hoc & inconsultum consilium videtur, quod nec ætas, nec dicendi exercitatio ea in me sit, quæ auribus vestris dignum

gnum polliceri possit: Solatur tamen me favor vester, quem erga eos, qui ante me ex hoc loco dixerunt, sæpissimè declarastis, quâsi me etiam, ut spero, prosecuti fueritis, poterit orationis meæ cymba, quæ audacius fortasse mare hoc ingressa est, portum feliciter contingere. Hac bona spe fretus, expandam vela, & ad quadrantem horæ aliquid dicam, *de multis gravissimisq; malis, quæ in omnibus vitæ humane ordinibus bellum excitare solet.* Quod dum facio, à vobis, honoratissimi Auditores, ea qua par est reverentia peto, ut ea, quæ pro modo ingenii mei breviter allaturus sum, benevolis placidisq; auribus accipiatis.

CUm olim lento difficiliq; bello *Græcia* pertimeretur, omnibusque illis calamitatibus quæ bella, imprimis civilia, comitari solent, affligeretur, missi sunt qui oraculum consulerent, ecquis belli illius finis futurus esset? Quibus Apollo respondit, non esse pacem Græciæ expectandam antequam aram ejus duplicassent. Quod si hodiè locus ullus esset, ex quo de bello hoc Germanico, quod patriam nostram dulcissimam tot jam annos miserimè turbavit, responsa afferri possent, non dubium est, quin magno numero illuc confluxuri essemus. Neque enim mirandum esset, nos ad levissimam belli mentionem toto corpore cohorrescere. Ego sanè cui de bello nunc aliquid dicendum est, ita exhorui, ut penè ipsa vox faucibus hæere velle videatur, non quidem quod hic verba cuiquam deesse possint, sed quia sentio, totum hoc spatium inter suspiria & lachrymas

B

chrymas

chrymas decurrendum mihi esse, non illas, quas olim Augustus inter Maronem & Flaccum suum accumbens jocando emisit, sed quas intoleranda hæc belli moles bonis quamplurimis expressit hæcenus, & adhuc exprimit. Quod si enim omnes omnium temporum historias, atque annales excutiamus, inveniemus profecto, nullum statum, nullum vitæ humanæ genus dari posse, in quo non miserimas & luctuosissimas tragædias bellum excitaverit. Unicum fundamentum & basis omnium Imperiorum Religio est, quâ juxta Plinij gravissimi Scriptoris sententiam, tota vita constat. Omnes Religione moventur (verba sunt Tullij) & DEOS patrios, quos à majoribus acceperunt, colendos sibi diligenter & retinendos arbitrantur. Etenim prolapsa Religio, certissimam universæ Reipubl. ruinam secum trahit. Neque enim sine summo judicio Horatius dixit: Dij multa neglecti dederunt Hesperia mala luctuosæ. Intellexit hoc vir inclytus Religione Numa Pompilius. Cum enim ferocientes Romani populianimos mitigare veller, nihil ad eam rem Religione efficacius excogitare potuit. Quapropter simulatis cum Dea Egeria occultis congressionibus, ejus instinctu varia sacra & ceremonias, Pontifices, Augures & qui Salij appellati sunt, instituit, & eò ferocem populum redegit, ut quod vi & injuria occupaverat imperium, Religione, atque justitia gubernaret. Nos qui in Christi castris militamus, scimus, Religionem unicum illud medium esse, quo nostræ animæ, Numini Vere-

ran-

rando, unde se peccato separaverant reconcilia-
ne ligantur, æternam illam, nullisquæ seculis fi-
niendam salutem consecutura. Quocirca eam
tantum semper facimus, ut non, nisi cum anima si-
mul amitti rectè posse existimemus. Neque id
injuria. Quis enim verbi divini lucernâ remotâ,
& extinctâ absque prolapsione hac incedere in vi-
ta posset? Quis, nisi lex Domini nostra esset dele-
ctatio non miseris frangeretur, ac succumberet? Ca-
rendo, quantum hoc sit bonum, didicerunt, &
adhuc multis in locis discunt multi, quod assidue
fruendo agnoscere nos non possumus. Quanto
autem Religio vera est munus majus, quanto
res Sanctior & ad sempiternam salutem conse-
quendâ conducibilior, tanto pluribus est difficultati-
bus, belli cum primis tempore obnoxia. Etenim
proh Deum, quot & quantæ in bello sunt procel-
læ ac tempestates? quam multi reperiuntur in
schola Martis instituti, qui nefario, ac conscele-
rato planè ausu ad subruendam evertendamque
Religionem funditus, omnes suos conatus con-
ferunt, rati, Religione turbata, reliqua omnia,
quantumvis magna, sine ullo negotio & quam
facillimè quoque turbari? Nonnulli nisu plauè
sacrilego fana ac templa spoliant, compilant, com-
pilata, subjectis flammis incendunt, exurunt, & in ci-
neres convertunt: alij pretiosa vasa rapiunt, aras
suggestaque indignis sacerdotum cædibus polluant,
opera musica atterunt, statuas & imagines deiiciunt
pars, nefandum! eò furoris ac impietatis proce-
dunt, ut strenui se militis officium fecisse

non autument, ni qua ratione sacris quoque monu-
mentis nocuissent, humatorum cadavera effodis-
sent, cineres excussissent, postremò ossa reliquiasq;
disturbassent, ac disjecissent. Et quam tu mihi ex o-
mni re sacra nominabis, quæ non ignominiosissimè
tractetur, incestisq; manibus conspurcetur? Usque
adeò nihil in bello sanctum, salvum nihil, nihil in-
colume relinquitur, non sacra, non profana, non
homines, non cælites. Cruentus Mars omnia pro-
miscua nihil pensi, nihil moderati habet. Magna
mihi copia est memorandi, Auditores, quæ templa
maximâ operâ, & impensâ, magnificentissimè exæ-
dificata belli sævitiâ diruta, & solo exæquata fuêre.
Sed ea malo dicere, quæ de templo Hierosolymita-
no literis commendata legimus, eum quia id stru-
ctura atque cultu, prætercâ oraculis atque sacrifici-
is satis illustre fuit, tum maximè verò, quia præter
cætera eò destinatum fuisse videtur, ut supra com-
memorata tristia ac funesta facta omnia experiri ne-
cesse haberet. Erat id extructum in altissimo ter-
ræ profundo, è saxis, quæ contrâ omnem tempo-
rum injuriam resistere possent, validissimis. Intus
parietes cedrinis tabulis incrustati, auroque illiti e-
jus splendore sic renidebant, ut intrantium oculos
fulgor undique occurrens perstringeret. Tota verò
structura ex lapidibus politissimis constabat, ita ad
unguem inter se quadrantibus, ut commissuræ ocu-
los fallerent, & nulli usquam mallei, aut cujuslibet
fabrilis instrumenti vestigium intuentibus appare-
ret. Sed connata potius omnia, quàm arte conge-
sta viderentur. Ut nihil dicam de binis ex auro so-
lido

lido cherubinis, nihil de arca fæderis, quæ ibi con-
dita asservabatur, nihil de vasis, quorum magna co-
pia erat aureis. Id modo cum animis vestris cogi-
teris quæso, quod numen ipsum extructam hanc æ-
dem prodigiosa sua præsentia initiaverit, haud du-
bio indicio testarum relinquens, se in ea esse quam
lubentissimè habitaturum. Sed omnia hæc, quan-
tacunque etiam fuere, tantum abest, ut nobile hoc
domicilium à funestis belli cladibus immune præ-
stare potuerint, ut potius paucis annis post Susacus
Ægyptiorum Rex Jeroboamo Rege templum hoc
spoliaret, sacros DEO thesauros, exportatâ magnâ
auri, argentiq̃ue vi incestissimè diriperet. Hæc &
hujusmodi, quæ victoribus collibuerunt, multa
alia, non semel & à Susaco modo, sed ab aliis quo-
que sæpissimè perpeffum est. Donec tandem ulti-
mo fato impendente, à Nabuchodonosore Babylo-
nicorum Rege, sublatis prius aureis argenteisq̃; va-
sis, est incensum, dirutum, eversum. Ita magnifica
illa, quæ septennio duraverat, templi fabrica, pau-
carum horarum spatio in cineres favillasq̃ue redacta
est. Et quis poterit templa hoc nostro bello de-
structa omnia recensere, quæ Relligione ac cultibus
divinis, olim quidem satis fortunata fuere, nunc
verò ex sedibus imis eruta, vix loca rud'eribus, si-
gnant atque commonstrant. Non melior schola-
rum, non melior Academiæ est in bello condi-
tio. De scholis juxta mecum omnes boni fatentur,
quod iis sublatis, aut negligenter habitis ruinam,
non modo Ecclesiæ minentur, verum etiam ad in-
teritum vergant cuncta alia. Frigeant curiæ, labent

tribunalia, res etiam privata vacillent. Id quod vel in-
fensissimus Christiani nominis hostis Julianus intel-
lexisse videtur, quando veram Religionem clausis
Christianorum scholis evertere conatus est. Ecquæ
verò earum in bello fortuna? miserrima sane negli-
guntur, spernuntur, deseruntur. Convertuntur in
stabula, gynæcea, aliaq; sædæ libidinis propudia, non
pauca delentur prorsus ac devastantur. Præceptores
laboribus intenti suis mulentur malè, & nō rarò in-
dignissimè quoq; cæduntur, pueri diris his facinori-
bus territi, pars aufugiunt, pars præcípites pelluntur
& ejiciuntur. Devastatis scholis rectâ itur ad A-
cademias, quæ, quanquam multiplici sua utilitate,
qua Rempub. afficiunt omnes sibi bonos facillimè
devinciunt, solum tamen Martem reconciliare si-
bi non possunt. Hic furibundus & novercali planè
odio æstuans, clamitat, sic eas Reipubl. esse ne-
cessarias, ut rota in curru quinta solet, tollenda esse è
medio, & extirpanda penitus ista latibula nequitia,
prodigalitat, & ignavia. Idem quoque faciunt ejus
pulli, milites, horum studia, opera, curæ, cogitatio-
nes deniq; omnes in eo defixæ sunt, ut præclaros tum
docentiū, tum discentiū conatus retardent Musas
impediant, interturbent, expellant. Sed quid mi-
rum? barbari illi Bellonæ filij pleriq; ita indocti sunt,
ut, quoties de artibus & disciplinis præclaris fortè
audiūt, illicò horreant, quasi in alium orbem delati;
præterea flagitiis sic cooperti, ut parum admodū à
bestiis differant, ideoq; sua facinora, & deprehendi
& reprehendi nolint. Hinc persecutio Musarū, & ubi
hæ colūt Academiarū: quas bello destructas, magno
numero persequi possem, nisi res ipsa pro me loqui
videre.

videretur. Sed consideremus alia, jocos atque ludos adhuc esse intelligemus, ea quæ modò allata sunt. Vos ego, Judices, compello & qui ad rerum gubernacula sedetis, quid valent leges, quid justitia? Annon illæ silent, lugent, ac mærent, hæc verò, ex terris migrasse hominumq; cætib; planè exivisse videtur? Ecquid per totam vitam injustitiâ, quæ in bello dominatur, accidit vobis calamitosius, ac funestius? Vos unicuiq; quod suum est æquissima lance appendere debebatis ipsi injuriâ pati ab impio milite, aut stabulario fortè, stratoreq; impuro necesse habetis. Vestrum erat innocentum curam habere, oppressosq; injuriæ atroci eripere, ipsi insontes circumvenimini, trahimini, opprimini. Vestrum erat à violenta furum, latronumq; direptione, opes & bona subditorum tutari, ipsimet Larem vestrum, quin militibus prædæ sit, servare non potestis. Ad vos respiciunt stupratæ matres familias, ad vos inter suspiria, lachrymasq; gementes compressæ virgines, sed ipsi uxores adulteratas, constupratasq; lugetis filias. Vos de supplicio ab interfectorib; sumendo occisorum cõpellant manes, ipsi indignissime jugulamini, atq; contrucidamini. Quid plura? Vobis vestræ domus, uxores, liberi, opes, vita deniq; ipsa non satis tuta ac salva est. Usque adè in bello contra omne jus fasq; òne in nefas eunt milites, rati nihil æqui ac boni propter se esse sancitū, nulli se juri esse subditos, se in vagina leges omnes cum ferro gestare, quicquid scelerato animo libuerit, id solū jus atq; æquū esse. Si ob nefanda scelera illos accuses, illicò respõdetur, belli ci juris id esse: perindè quasi injuriâ facere, & pessima
quæq;

quæq; facinora patrare, id demū esset bellum gerere. Præfecti militares, penes quos est potestas malefacta punire, & in facinorosos homines animadverteret, usurpant id, quod in bello Cymbrico Marium attulisse legitur, se inter armorum strepitus, & classicorum cantus, legum audire vocem non posse. Ita nimis verè dictum experimur esse istud Poëtæ:

————— *cedit viribus equum,*

Victaq; pugnaci jura sub ense jacent.

Quid obsidiones loquar, quid urbium everfiones, bello pro dolor creberrimas? Horret profectò & refugit animus, vel quicquam modo de iis, quæ obsessis accidere solent narrare *calamitatibus*. Quid enim? annon cum hostium copiæ longè adhuc absunt, nec dum ulla irruptio, aut obsessio facta est, vel *solo* belli rumore omnium animi ita pavent ac consternantur, ut nulli mens loco suo fixa stare, nec dum consilium suppetere videatur? Omnes festinant, trepidant, non homini, non loco satis cuiquam credunt, bellum gerendum an pax habenda sit constituere nesciunt: mulieres, quibus belli facies insolita, se vehementer affligunt, quiritant, vagitant, manus supplices ad cælum tendunt, miserantur parvos liberos, rogitant, omnia timent, *repentè* omnes metus, & tantùm non panicus terror invadit. Neque id mehercule injuria. Etenim quinam quæso sunt, qui ad obsidendum adventant? Viri profectò, iiq; non molles quidem & effeminati, sed feroces, fortes, animosi, hoïtes immisericordes, hostes crudelissimi. Expediti ad bellum, nullus defatigatur, nullus vigiliis, aut labore frangitur, nullus languidus

gvidus est, lassus nullus, aut enervatus, omnes ope-
rosi, intenti, semper agentes quid ac molientes, nulli
li cingulum, nulli corrigia, quæ moram injicere pos-
sit, solvitur; properant omnes, festinant, advolant, ve-
lut aquila ad prædam; adsunt cum equis, curribus,
clypeis, tormentis, securibus, quasi ligna cæsuri.
Undique militum clamor ac fremitus, undique e-
quorum hinnitus auditur, clangore tubarum ac
tormentorum fragore omnia circumsonant. Ecquid
tandem hoc hostium advētu terribilius, quid formis
dolosius? Sed lusus est ac jocus, si ad obsidionem
spectes, eò ubi perventum est, DEUM IMMORTALEM,
quantum tibi miseriarum est, quantum calamitatum!
Hostes oppida circumfident, vallo, ac fossâ mænia
circumdant, comeatibus obsessos intercludunt,
hinc eorum fortunæ in extremo sitæ, foris hostis in-
fectus, auxilij spes nulla, intus rerum necessariarum
penuria, & quæ hanc insequitur, fames plerumque
durissima, quæ vel sola omnes clades superat, cum
hujus necessitate homines eò sæpè impellantur, ut
omnis amoris non modò à DEO mandati, verum et-
iam à natura insiti obliviscantur, conjuges maritis,
liberi parentibus suis cibum ex ore eripiant, quin
majora etiam adversus ipsos perpetrent, modò fa-
mem fugare ac propellere queant. Liberi matres tan-
quam aviculæ circumstant, & ore hiante panem ex-
petunt, panarium verò totum vacuum & inane
est. Quid tum animi matribus esse censendum est?
Annon millies mori, quam ejusmodi penuriam
ac miseriam in liberis suis videre & experiri malint,
præsertim cum seipsas cum illis consumi pededen-

C

tim

rim ac perire videant? Quid hac miseria tristius fin-
gi cogitari ve potest? Quantam, Auditores, cala-
mitatem Casilini fuisse arbitramini, cum Hannibal
Romanorum præsidium obsidione cingeret, idq; eò
redigeret, ut mus etiã unus ducentis argenteis ven-
deretur, ut lora necessariis vinculorum usibus sub-
ducta, è què scutis detractas pelles ferventi resolu-
tas aqua manderent. In hac obsidione ad id ino-
piæ ventum est, ut multi famem non tolerantes su-
pernè sese præcipitarent, alij in muris stantes nuda
corpora admissilium telorum ictus præberent.
O improbam famem, ô malum ingens, ad quæ sce-
lera homines non impellis! O execrandum verò bel-
lum utrorumque causa! Sed quid hostes interea,
numquid foris oriantur, aut expectant, donec fa-
mes ad deditonem obsessos compellat? Errat qui
sic existimat. Dies noctesque aut per vim aut dolis
tentant: defensoribus mœnium formidinem mo-
dò, modò præmia ostentant, prorsus intenti cun-
cta parant. Turres exstruunt, construunt aggeres,
vineis & machinis omnium generum oppida oppu-
gnant, in muros atque portas arietant, domus? tur-
res, & munitissima quæque frangunt, contundunt,
atque prosternunt. Ad quam rem hoc nostro se-
culo illis maximè usui sunt, tormenta ænea, quibus
post hominum memoriam nihil terribilius, nihil
magis horrendum aut execratione dignum ad hu-
manam perniciem excogitari potuit. De quorum
inventore quid dicam nescio, nisi quod haud ad-
duci possum, ut humanum ingenium fuisse cre-
dam,

dam, ut potius malum quempiam dæmonem mortalibus, ut inter se non armis modo, verum etiam fulminibus pugnarent, monstrasse existimem. His tam noxiis ac mortiferis machinis æquis quæso locus, quamvis muris situque ipso satis munitus, non quassatur, laceratur, ac dissipatur? Quid plura? Hostes obsidionem semel captam non facile solvunt, si maximè per plures annos ea trahenda sit: exemplo sunt Græci, Trojam decem ipsos annos obsidentes, Romani, obsidionem Vejorum non nisi cum capta urbe solventes. Captis verò & expugnatis oppidis, quis est, qui non quo tandem cunctunque oculorum aciem converterit stragum plena, vereque misera, atque miseranda omnia cernat? Effusi per vicos milites obvios quosque sine ullo sexus, ætatis, ordinis discrimine contrucidant: liberos sub ore parentum jugulant, uxores rapiunt, & in maritorum complexu transfodiunt: nulla ibi clementia, nullus trucidandi finis, nisi quem fatigatio affert. Nec canities senum ad genua suppliciter abjectorum, nec pusiones ad materna pendentes ubera quenquam vel paululum retardant. Non ætati non generi parcitur, cadunt simul viri & mulieres, juvenes & virgines, divites & pauperes, docti & indocti, cadit Archimedes literis intentus suis, cadunt sacerdotes rem divinam facientes, Undique gladiatorum fulgor, armorum strepitus, militum crepitus, oculos, aures, animos perstringit & obduntit.

C 2

Infan-

Infantium quiritatibus, muliercularum ejulatibus,
morientium gemitibus omnia personant. Ipsæ urbes
planè dimotæ sedibus suis suorum in civium cade
ac sanguine natant. Qui autem in primo furore fer-
ro non percunt, ad exquisitissimos corporis crucia-
tus, quorum vel meminisse animus horret, reser-
vantur. Quid de carceribus & captivitate durissi-
ma nunc ut dicam, expectatis, Auditores: Est ea ca-
lamitas major nulla: ad alienam libidinem homines
illa trahit, cogitque iniquissima quæque pati; tam
hujus impatientes multi sunt, ut mori quam ferre,
hanc diutius malint: sustinere & hanc in bello mul-
ticoguntur: cernimus vinciri Principes juxta & sub-
ditos, & retortis post tergum manibus hinc inde ve-
luti pecora trahi, abduci pueros & puellas, eosque
vili pretio sæpè, utinam non vini aut cerevisiæ can-
tharo vendi, cernimus alios flagris cædi, alios alio
modo ita tractari, ut viventes diu verè mortui vide-
deantur. Patimiserias has Judæi ad nonaginta se-
ptem millia capti ultimo suo fato necesse habuerunt,
quorum tria millia Cæsareæ, quando natalem fratris
sui Domitiani T. Vespasianus celebravit, in thea-
trum producti, partim à bestis dilaniati, partim com-
missi inter se trucidare alii alios coacti sunt, reliquis
vilissimo pretio venditis & dissipatis. In stupris por-
rò atque flagitiis improbas atque indomitas hosti-
um cupiditates, tetram ac immanem petulantiam,
effrenatas ac nefarias libidines commemorare pu-
dore deterreor: neque solum quid dici de illis verè
possit, contra quos nulla munita satis sepraque pu-
dicitia fuit, sed & quid dicere me deceat, cogito.
Uc

Ut paucula tamen delibem : rapiuntur virgines & comprimuntur, patiuntur matres familias quæ victorum fert libido, non puellis teneris, non gravidis parcitur, omnes promiscuè profusæ hostium libidini ministrare coguntur. Quod accidisse foeminis legimus Hunnis in Italia grassantibus, ubi Cotriguri ad nefanda supra compulerunt mulieres pariter & virgines, sine ullo ætatis & ordinis discrimine, juvenecas & vetulas, nobiles & ignobiles, quin ne gravidis abstinerant, quas secum abductas in itinere ita distraxere, ut necessitate pariendi appetente, sub dio & in propatulo fætus ederent, quos barbari, horribile dictu, canibus discerpentes vel avibus in solitudine devurandos, projecerint. Totus cohorteo, qui hæc pronuntio; quid ergo illis animi fuisse existimatis, qui in corporibus suis hæc passi sunt. Quid de prædis ac rapinis, quid de furtis iniquissimis proferam, Auditores? Non, si mihi Ciceronis aut Demosthenis eloquentia esset, militum rapacitatem, atque inexplebilem avaritiam commemorare possem. Effringunt fores, ædes diripiunt, vestes, aurum & pretiosa quævis indè auferunt, supellectilem avehunt, profus omnia loca perreptant, nihil salvum, intactum nihil, nihil integrum relinquunt. Si quid terræ asservationi defossum, incantamenti eruunt, si orco commissum, revocant, si puteis demersum extrahunt. Quibus rapinis villæ, dirptionibus vici, vastatione pagi deleantur fidem non impetrat, etsi bona fide dicatur. Ditissimi usque ad medullam emaciantur, ad restim cōguntur pauperes, ad desperationem uterque adigitur. Milites

contra locupletantur & ditescunt, sæpè ingentem prædam, quam rapuere, capere non possunt, nec tamen expletur insatiabilis Harpyiarum istarum ingluvies, sed irritatur indies, crescitque subindè plura rapiendi cupiditas. Id quod Persepoli factum accapimus, Alexandro Urbem militibus diripiendam cedente: ibi eò usque insolentiæ militum processerat avaritia, ut inter se ferro dimicarent, & pro hoste esset qui pretiosorem prædam occupaverat. Et Constantinopoli direpta barbari tam amplis spoliis ditati sunt, ut hinc natum proverbium sit, quo, qui ditescit, Constantinopoleos direptione vulgò interfuisse perhibetur. Expilatarum urbium fatum ultimum sunt incendia, ad quæ Furia iliæ, quum quos occidant, quidve rapiant, vastis animis non superat, ne per otium manus torpescant, laxatis habenis velut amentes & insani feruntur. Sic incensa ab Alexandro est Persarum Regia & urbs Persepolis, totius orientis opulentissima ac potentissima, cui Rex quidem armatus initiò pepercerat, at temulentus post in convivio à Thaide scorto, aliisque castrensibus prostribulis impulsus primus faces subdidit, ignemque injecit. Ita Carthago exusta est Imperij Romani æmula, cujus incendium tantum fuit, ut per continuos decem & septem dies ignes, quos domibus ac templis hostes partim, partim obsessi spontè immiserant vix extinguere potuerint

Memo.

Memoratas has miseras, calamitates, strages
denique, ne foris quæramus, omnes miserrima,
eheu! patria nostra Germania, bello hoc
cruentissimo, quod cumplures jam annos geritur,
& adhuc dum gliscit, experiri coacta est.
Erat illa olim tam locuples, tam referta ac copiosa,
ut meritò cella penaria & vicinorum nutrix
habita fuerit, cum non amicis modo, sed etiam
hostibus, quibus partim merces suppeditavit,
partim aliis rebus adfuit, fructuosa fuerit.
Hodiè ejus quæ facies? Ah! nimis de illa
verè dicere possumus id, quod de Palestina.
Propheta dixit: ante hostium adventum terra
hæc quasi hortus fuit voluptatis, post, solum
velut deserti. Etenim quo tandem cunque nos
convertamus, hostilis & crudelitatis & tyrannidis
non vestigia, sed ipsa cubilia videmus. Bello
hoc funestata est Stiria Austria, Bohemia, Moravia,
provincia olim Religione fortunatissima, nunc
miserrima. Bello hoc vastata est Franconia,
direpta Silesia, expilata Lusatia, utraque ad
pulvisculum exhausta. Bello hoc ardet Marchia,
conflagrat Pomerania, emaciatur Meckelburgensis
ducatus, Misnia, Saxonia, experiuntur ea, quæ
nemo quisquam sibi persuadere potuisset. Et quæ
tandem orbis Christiani pars reperitur, quæ ab
armis intestinis libera, omnis metus expers sit
atque sollicitudinis? Legibus atque institutis
præclaris hæc munita fuerunt

Regio

Regiones, in agris quantum huc usque illa valuerint, & adhuc valeant miseri experiuntur coloni, Quotus quisq; enim est, qui sibi messuit, aut messos, inque horreum collectos fructus trituvavit? Annon profusi milites frumenta consumserunt, perdiderrunt, & ne miseris quicquam reliqui esset granaria, incenderunt? Ecquot nunc quæso reperiuntur, quibus jumenta ære non levi ad labores comparata, salva adhuc illa atque integra sint: qui non aut abducta illa minutoque vendita pretio querantur: aut quæ adhuc reliqua sunt, ita macilenta circumducant, ut pellucidis lucernis similia sint, eorum, in sole exta inspicere possint, nec vel glebam commovere unicam in agro valeant? Quotus quisque est vel colonorum vel civium, cui vel fenestræ, vel scamna, vel cardines, vel pessuli ferreæ, vel seræ, vel aliud quippiam, quod a vehi, aut asportari quoque modo aut etiam teruncio vendi possit, relictum sit, ut quantum in vasis argenteis, in aureis annulis, in nummis, in vestibus, in rebus pretiosis aliis rapacium militum extiterit latrocinium, facile omnes intelligant, cum tam in rebus leviculis sint improbissima ratione præditi: Ah! multi hic, qui aliquot sua in familia ante servos alebant, nunc egestatis sublevandæ causa aliis inserviunt. Multi, qui ante in re constituti lauta, atque copiosa subvenire pauperibus suis opibus possent, eò jam rediguntur, ut inopes ipsi oberrent, & stipem ostiatim colligendam mittere suos cogantur. Nihil hic dicam de cruciatibus, quibus miseri à tortoribus istis plusquam

quam turcice tradantur; Ducuntur viri boni ac honesti, manibus post tergum vinctis, est colaphorum parata messis, sequitur carcer, inde ad aculeos & torturas extorquendæ pecuniæ causâ pervenitur, quorum vel recordari cohorreo. Hic fidiculâ torquetur, ille faucibus strangulatur, alius fumo lentoque igne excruciat, alius scuticis ruber: alterius ruber caput totum nodosis funibus tunditur, illi calcaria equorum instar, subduntur, hic humi stratus pronus volvoli & cylindri in modum volvitur. Nihil de ædibus ac villis exustis proferant. Solatur quemque sua domus, & ut ut alia se habent, nidulus modo dum est integer aliquo solatio miseros sublevat. Quot autem jam in vicinis civitatibus conspiciuntur, quibus non solum descendendæ ædes, sed & illud partim videndum, partim audiendum fuit, in fumum amarum eas abiisse? Ubi est emporium illud nobile Magdeburgum, bustum est, & totum funeribus civium suorum, & ruinis oppletum, vix è cineribus & favillis agrum caput allevat, supplicio suo, (miserandum?) superstes. Ubi Budissa? Exusta majori est ex parte, miserandum posteritati spectaculum præbens. Ubi Luzena? Cadaver est, & in cineres data: ubi reliqua oppida in alpibus sita, & vici plurimi, ante locupletes alii? Immisis flammis perierunt. Ubi pagi? quorum numerus est innumerus? consecrati Vulcano miserè jacent: extorres aliorum se ac suos contra feram ac frigidam hyemem tueri testis necesse habent. Stupra & nefanda flagitia,

D

quæ

quæ à monstrosis militibus patrantur, ego si lin-
guæ centum mihi, totidemque ora essent | digne
exprimere non possem Cum ne punctum quidem
temporis ullum vacuum præterire gravissimis fla-
giis passi sint & adhuc patiantur, semper superio-
ra facinora novis sceleribus vincant. Comme-
morent alij, qui per & ætatem, & ingenium, &
dicendi vim atque facultatem me hoc facere me-
lius possunt. Tibi interea æterne ac omnipotens
Deus gratias immortales ago, quod & hoc anno
in justissima tua ira, tamen misericordiæ tuæ me-
mor, belli à nobis poenam si non penitus removi-
sti, tamen ita nos eo punire voluisti, ut in hac urbe
sine impedimento & periculo ullo, cum verbum
tuum audire, tum studijs nostris vacare potueri-
mus. Te quoque submissè rogamus, ut & futuri
anni, quem propediem exordiemur, felicem in-
gressum, feliciorum progressum, felicissimum ex-
itum concedas. Cuncta poenarum genera, impri-
mis verò belli illud onus, per ea, quæ tibi soli no-
ta, & offerre facilimum est media, nostris à cervi-
cibus auferas. Ita nos, clementissime Pater, ut
populus tuus, & oves pascuæ tuæ perpetuò, &
gratias tibi agemus, & gloriam tuam
prædicabimus.

D I X I.



Dum tot sanguineo peraguntur praelia fatō
Quilibet extortas solvitur in lacrymas,
Religio plorat calcatas Numinis aras,
Et commissa luto templa dicata polo,
Exsolvit gemitus incedens sirmate nigro
Astraea, & queritur iura sepulta fori,
Et civis patriae steriles spectare ruinas
Horret, & in fontibus parata dolet.
Est clades major verbis, in funere tanto
Obstupuit luctus, nenia nulla juvat,
Excipiunt Furia risu suspiria belli,
Et fugiunt teneras arma nefanda preces.
Hac mala Schneideri didicit depingere dextra
Numinis hac tantum tollere Dextra potest.

Gratans
hac scribebat discipulo
suo

M. Georgius Försterus
Marz.



Dum Tu grassantis, Schneidere, incommoda belli
Tam bellè calamò pingis adhuc Juvenis,
Exeris



Exeris ingenij vires, mirandaque dona,
Quæ Natura in Te contulit ante Dies.
Maçte hoc Ingeniò, & Fratrum vestigia plantâ
Te præcurrentùm, præcipitante preme
Sic te immortalẽ longè super æthera curru
Candenti post hâc candida Fama vehet.

Gratulabundus

hæc adjecit

Johannes Schneider
Patruelis

FINIS.



05 A 378

ULB Halle 3
004 210 735



607





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

ORATIO
De
BELLI MALIS,

Scripta & recitata

GOTTFRIED SCHNEIDERN,

BITTERFELDA SAXONE, IN ILLUSTR.

Academia Wittebergensi Dominica tertià

Adventus,

ANNO MDCXXXV.

WITTEBERGÆ

Typis AMBROSII ROTHII, Acad. Typogr.



10